



**Disputatio theologica exhibens deductionem reformatos
theologos & catechesin Heidelbergensem juxta Scripturam
docere hominem post lapsum nasci in peccatis ...**

<https://hdl.handle.net/1874/27147>

DISPUTATIO THEOLOGICA.

exhibens deductionem

Reformatos Theologos & Catechesin Heidelber-
genssem iuxta Scripturam docere

HOMINEM POST LAPSUM NASCI
IN PECCATIS

procul verò abesse, imò damnare

hanc propositionem

DEUS POST LAPSUM CREAT HOMINEM
IN PECCATIS

Quam iuvante

DEO PATRE SPIRITUUM,

PRÆSIDE

Plurimum Reverendo, Celeberrimo, Clarissimo

V I R O,

DN. PHILIPPO JOHANNE TILEMAN

d. SCHENCK, SS. Theolog. Doctore, ejus-

demq; Facultatis in Illustri Hammonensium Phronti-

sterio Professore Ordinario, & ibidem Pastore

disertissimo, Præceptore & Patrono in

honorem discernendo,

colendo,

Publica & placida ventilationi subjicit

THEODORUS NEUHAUS, CAMENNAS

WESTPHALIS.

Ad diem 21. February loco horisq; solitis.

H A M M O N Æ

Typis BERNHARDI WOLPHARDT,

ANNO MDCC LXXX.

*Oppositio sic
est. Qui creat
animam rectitudi-
nariam, in creat
in peccatis. Dg.*

*Generosissimo, Gravissimo, non minus pietate ac Sapien-
tia, quam antiquo Nataliam Splendore perillustriissimo,
ut in Dignitate, sic Orthodoxæ religionis asserenda
studio PATRI ritè succedenti,*

DN. THEODORO L. Baroni à RECK,
Hæreditario in *Reck / Rakesbeck / Dahlhausen
& Camen / Præsidi Judicii in Frönbern / ac de-
signato Unnensium & Camensium in Comitatu
Marcano Satrapæ Dignissimo, Domino & Suf-
ceptori suo, studiorumq; suorum Patrono, Fau-
tori & Promotori summo.*

UT ET

*Reverentiâ, Eruditione, Pietate ac probitate Conspicuis,
VIRIS,*

DN. JOHANNI FRIDERICO HOFMAN, { Illi; apud
DN. PETRO GARSHAGEN, { Effendi-
DN. THEODORO NEUHAUS, { enses,
DN. JOHANNI MARTINO KESLERO, { Illis; a-
pud Ca-

*menfes veræ doctrinæ, pietatis in amicitia vinculo Jun-
ctissimis Collegis, huic ad istos quàm proximè accedenti;
ex fide, pro fide annunciantibus Divinam fidem, Ministris
Vigilantissimis, Cognato, Amico, Parenti, Præceptori
suo quondam nec nunc spernendo Fautori,*

*DOMINIS - Mecænatibus, de se studiisq; suis optimè
meritis, omni reverentia & grata observantia
Cultu Dignissimis, Dissertationem hanc Theolo-
gicam, quâ debet humilitate, quâ gratitudine
potest:*

O. D. C.

RESPONDENS,



DISPUTATIO THEOLOGICA.

quâ proponitur

Assertio Orthodoxæ Reformationum sententiæ:

Deum non creare hominem in peccatis post
lapsum, sed Hominem nasci in
peccatis.

§ I.

Qua ratione peccatum originis transeat
ad posteros, explicatu difficillimum
habitum fuit ab antiquo; vel ipso Augustino
teste *adversus Julianum Pelagianum* lib. 5. cap. 2
Prorsus, quod in libro meo dixi, verum est.
Nam quod dimissum est in parente ut trahatur
in prole, miris quidem modis fit, sed in fit.

*Et quia modus non facili ratione indagatur, nec sermone explica-
tur, ab infidelibus non creditur. Et in epist. ad Hieron, hæc ha-
bet; Satis nobis esse debere, quod modum quo anima liberatur à
peccato novimus, etiamsi nunquam quomodo anima in illud ma-
lum venerit noverimus. Ex hisce labyrinthis exhibimus feliciter,
si filo Ariadne, Scriptura Sacra, contenti & intenti, discamus
non inquit à Pelagianis opinionem 1. Cor. 4. 6. Humanæ curiositatis
vitium*

vitium est, *ἡμεροποιεῖν μάταια ἢ τοῦ φροεῖν*: Vera demum sapientia est, *φροεῖν ἢ τοῦ σφροεῖν*. Rom. 12, 3. Sunt enim multa abscondita, quæ Deo nostro, sed revelata, nobis & filiis nostris. Deut. 29, 29.

2. §. Illud indubitatum est: Homo generat hominem. Quod tamen nascitur via naturæ ordinaria, non sine concursu creatoris existit: *in illo enim vivimus, movemur & sumus omnes*. Act. 17. & sine Deo *nil fit absolute, quodcumq; fit*. Joh. 1. Equidem totum sibi hominem vendicat Creator, *ex quo per quem & propter quem omnia* Rom. 11, 36. *ἢ ἡ πάλαι ἐξ ἡσ̄ οὐ* 1. Cor. 11. (quod tam de corpore quam de anima dictum, solidè asserit August. de orig. animæ. 1, 16.) similis est locus Esa. 41, 19. 20. & speciatim *El. 54, 16. Ezech. 28, 12, 13.* Imò verò corporis nostri, licet id generetur propriè & proximè, conditor Deus est. *Omnia enim quomodo à Deo, nisi & corpora ex Deo sunt*, rectè August. de orig. an. 1, 16. Fatetur David, *Pl. 139, 15. Factus sum in utero, artificiosè confectus sum in mis partibus terra. & hæc ψ. 14. ceu opera Dei mirabilia celebrat.* Explicationem horum si vis, *evolve Jobi. 10, 9. 10. 11. ut argillam fecisti me &c.* sic. *Pl. 22, 10. Educlor ab utero Deus vocatur*, id pia illa mater, *2. Mac. 7, 22. & ita præverat filius ψ. 11.* Magis ergò animarum conditor, quæ spirituales substantiæ, & neq; generari neq; corrumpi possunt. Hinc *Deus formator cordis. Pl. 33, 15. animas*, inquit, *ego feci. Zach. 12, 1. format spiritum hominis in eo, Deus spirituum omnis carnis. Num. 17, 16. Pater spirituum Heb. 12, 9. oppositè ad patres carnis. Hoc itaq; cavendum est, ne quis nascentium conditorem neget Deum, quod fecit Manicheus, aliud quoddam principium malum mali omnis originem, sed Deo bono coævum fingendo, feridè monet August. contra duas epist. Pelag. l. 4. c. 11.*

3. §. Cum itaq; duo in productione hominis concurrant, Deus creans animam & corpus, & homo cujus generatione proximè homo, anima & corpore constans, nascitur, vitium corruptæ naturæ adhærens unde? Adesse illud, nemo non videt, nemo

nemo non sentit. Satis superq; enim Pelagianos & Celestianos, originalem labem negantes & solâ imitatione Adæ peccatum in posteros propagari autumantes, confutavit suo tempore Augustinus. Eandem quoq; veritatem sustinemus nos contra Anabaptistas, Socinianos, Weigelianos ac Remonstrantes. Certissimum enim est, nos omnes *per unam offensam, si ἐν τῷ παρὰ ἡμῶν, & quidem unius hominis, τὸ ἐν τῷ ἀρχαίῳ, peccatores esse constitutos Rom. 5, 18. 19.* Attamen sollicitè invigilandum nobis, ne quis labis hujus originem extra nativitatem querat.

4. §. *Ad hujus rei intelligentiam non est necessaria anxia disputatio, qua veteres non parum torfit, an filii animæ ex traduce paternæ animæ oriatur, quod in ea lues potissimum consistat? ut rectè judicat Calvinus Instit. l. 2. cap. 1. §. 7. præcunte Augustino, qui in hilce nil temerè asserendum nil destruendum temerè opinatus. de orig. animæ lib. 2. cap. 14. Anima utrum de propagine veniam, an in singulis quibusq; nascentibus nova fiant, an alicubi jam existentes in corpora divinitus mittantur, vel suâ sponte labantur? Illa questio à divinatorum scriptorum tractatoribus catholicis pro merito sua obscuritatis & perplexitatis nondum evoluta & illustrata est, a. si jam factum, nondum in manus nostras illata pervenere. ait idem de lib. arbit. l. 3. c. 31. Missas quoque circa subtilitates omnes facimus, quomodo scil. peccatum hæere & transfundi possit in & cum semine corporeo? an corpus animam inficiat? an verò anima corpus? an Deus creet animam ex nihilo? an verò ex substantia animæ? vel feminis? An ante conceptionem creata anima? an verò increetur? Utrum prius animam concreata rectitudine, ut iudex puniens in posteris transgressionem Adami? Utrum ante, vel in, vel post unionem animæ cum corpore, sua dona ab homine sæditiago auferat? an verò anima primæ rebellionis rea suâ sponte abieget originale decus & abiciat, & extinguat? an verò quod datum erat bonum, sicuti manus impura, non accipere potuit purum vel non servare? Hæc omnia, & si quæ alia hujus com-*

6
matis sunt *Inimica*, subtiliter quidem, ut cum Augustino lib. 2. de orig. an. cap. 2. loquar, *differuntur, sed sine ullo, vel certe sine magno periculo nesciuntur.* Quia cum P. Mart. dicimus *L. C. claf. 2. v. 28. Hac usq. adeo sunt difficilia & obscura, ut humano iudicio prorsus non possit satisfieri.*

§. 5. Vilitationes hæc ad examen non vocamus, sed placide proponemus quæ sit orthodoxa reformationum de propagatione originalis peccati sententia. Fundamentum est, ab homine & generatione esse quicquid est mali; Deum verò nil nisi bonum operari. Hisce positis limitibus, sentit Christi universa ecclesia, & cum ea Reformata, in peccato concipi & nasci homines post lapsum. & contra Deum non creare homines in peccatis, sic nos docet Augustinus (qui præ cæteris hanc enodavit materiam) de nupt. & concupisc. l. 2. 29. *In parvulo non est unum tantum, i. e. natura, in qua creatus est homo à Deo bono. habet enim & Vitium, quod per unum in omnes homines transit. sicut sapit apostolus, non sicut desipit Pelagius a. Celestius, vel eorum quicumq. discipulus. Horum itaq. duorum quæ in parvulo esse diximus, unum ad scribitur Deo, alterum diabolo. & paulo post; Est itaq. per quod homo divino operi vendicetur quia non esset homo nisi divino opere crearetur. Malum autem non esset in parvulis nisi voluntate primi hominis peccaretur & ex origine vitiosa peccatum originale traheretur.* Et fodes an clarius de utroq. sententiam Catholicam proponere potuisset quam fecit in sequentibus? *Non solum filij ex conjugio, verum etiam ex Adulterio bonum aliquod esse secundum opus Dei quo creati sunt. secundum autem originale peccatum in damnationem nasci ex Adamo &c. lib. de nupt. & concupisc. 2. cap. 20.*

§. 6. Distinctius jam de primo videamus. Nasci homines in peccatis, sentiunt, confitentur & docent Reformati. Testes nominamus novissimos Theologos; Mareium syltem.
6. §. 44. *Hanc propagationem non aliter quam naturalis generatione*

ratione fieri docet constanter scriptura. Coccazum de fœd. §. 65.
Cum homo peccavit, generatio facta est medium, non tantum
substantiam, sed & reatum & regnum peccati traductendi. Ad
medios ad scendamus. Bucanus loc. 16, qst. 22. *Qua ratio-
ne seu modo tum reatus, tum labes illa manat ad posteros?* Re.
tius quidem per imputationem ut dictum est. Corruptio verò, non
imitatione & exemplo dumtaxat & consuetudine, sed propagatione
& generatione. quia Gen. 5. 3. dicitur Adam genuisse filium
Seth ad imaginem suam i. e. peccatorem. Petrus Martyr. L. C.
claf. 2. cap. 1. 16. Peccatum originis & totius hominis natura cor-
ruptio, a lapsu primi parentis in posteros traducta per genera-
tionem. Ita Calvinus noster Inst. l. 2. c. 1. §. 6. Satis clare pro-
vultur celestis ipse iudex Christus, omnes pravae & vitiosae
nasci. non vacat infinita cumulare testimonia, sic enim omnes
nostri loquuntur, sic sentiunt omnes.

§. 7. Jam lubet ascendere ad secula priora & antiqui-
tatis consensum monstrare, orthodoxam in hac sententia. Hugo
de S. Victore, Peccatum originis est, inquit quod trahimus à
nativitate, per ignorantiam in mente & per concupiscentiam in
carne. Augustinus egregie; Relinquamus Deo defensionem
suam, non eget ille patrocinio nostro, quominus aut injustus
aut crudelis habeatur; credamus scripturis qua passim cla-
mitant nos corruptos & vitiosos nasci. expressè idem de lib.
arb. 3. 20. de illo primo conjugio & cum ignorantia & difficultate
& mortalitate nascimur. vide quae habet de orig. an. 1. 8. neq;
enim potuit originali peccato esse peccatrix, aut quoquo modo in
originali peccato esse nisi per carnem, si de parente non trahitur.
Non aliter Ambrosius fœnit contra Novat. Omnes homines sub
peccato nascuntur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes le-
ctum dicente David; Ecce in peccatis &c. Idem in Esaiam.
Servatum est igitur ut ex viro & muliere, i. e. per illam corpo-
rum commixtionem nemo videatur expers esse delicti. Et super Lu-
cam

8
cam, de concept. Christi. *Qui autem expert est delicti, expert est hujusmodi conceptionis.* Hilarium lege ad verba Davidis Pl. 51. *scit sub peccati origine & lege se esse natum.* Cyprianus non aliter: *Infans recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiqua prima natiuitate contraxit.* Clemens Alexand. Pædag. 3. 12. *Peccare omnibus innatum.* & Strom. 3. *impetus quosdam primos à generatione, secundum quos Deum non novimus, nobis inesse.* Orig. homil. 8. in leuit. *quæcumq; anima in carne nascitur, iniquitatis & peccati sordè pollutur.* Concilium Milevitanum. can. 2. *regeneratione in infantibus mundatur, quod generatione traxerunt.* Plura si quis desiderat priscorum testimonia, Augustinum adeat contra Julianum lib. 1. & Chamierum Panstrat. Cathol. tom. 3. l. 1. cap. 6.

§. 8. Patent nostrarum ecclesiarum confessiones publicæ: sic sentiunt & loquuntur patres Dordraceni cap. doct. 3. & 4. artic. 2. *Qualis autem post lapsum fuit homo, tales & liberos procreavit, corruptus nempe corruptos, corruptione ab Adamo in omnes posteros, solo Christo excepto, non per imitationem (quod Pelagiani olim voluere) sed per vitiosa natura propagationem, iusto Dei judicio derivata.* & artic. 3. *Itaq; omnes homines in peccato concipiuntur, & filii ira nascuntur, inepti &c.* Confessio Anglica; *dicimus hominem natum in peccato & in peccato vitam agere.* Gallica art. 10. *Credimus totam Adami sobolem hæc contagione infectam esse, quam peccatum originale vocamus; vitium scilicet ex propagatione manans.* & post pauca; *nec putamus esse necessarium inquirere quinam possit hoc peccatum ab uno ad alterum propagari.* Helvetica similiter cap. 8. *Peccatum autem intellegimus esse nativam illam hominis corruptionem, ex primis illi parentibus in nos omnes derivatam vel propagatam &c.* Bohemica, artic. 4. *Homines in peccato conceptos & natos, ac mox ab ipsa natura & iter, peccatores esse.* Alias Evangelicorum confessiones, consonantes, de industria præterimus.

9
§. 9. Catechesis nostra Heidelbergensis quid doceat, habes quaestione septima. Unde igitur existit hac natura humana prava? R. Ex lapsu & inobedientia primorum parentum Adami & Eve; hinc natura nostra ita est depravata, ut omnes in peccatis concipiamur & nascamur.

§. 10. Jam, quod caput rei est, scripturam ita pronuntiantem audiamus; Pl. 51. *En in iniquitate natus sum, & in peccatis me fovit mater mea.* P. Martyr ad haec verba ita commentatur; aperte docet, hoc peccatum traduci per generationem. Calvinus h. l. *Mibi videtur Propheta significare velle, foveri nos & caleferi in peccato, quamdiu in visceribus matrum latemus.* Augustinus; *Propaginem mortis considerat, & originem iniquitatis advertit.* ex nativitate itaq; ceu ex origine originale derivari peccatum, non ex creatore vel creatione, Psalmum docere sentiunt veteres & moderni. Ita Jobus; *Quis dabit mundum ab immundo.* Job. 14, 4. Calvinus, *Qua sententia admonemur, omnia mala qua patimur, ex natura nostra corruptione proficisci.* Et ut hanc doctrinam probe intelligamus notemus quando verba fiunt de homine, & ita qua ei insunt, non agi de opere Dei & paulo post; videtur Jobus causam incredulitatis & omnium peccatorum & vitiorum nostrorum hanc statuere, quod ex Adamo nascamur. Piscator. *Natura immundus sum, immundis ortus parentibus.* Adam Genes. 5, 3. *genuit ad similitudinem suam, imaginem suam, Seth.* Calvinus. *notanda vitiositas qua ab ipso contracta & post vitiatum Seth cum aliis legimus, quia Adam qui desciverat, non potuit nisi sui similes gignere. secundum carnem natus est peccator.* Piscator. *dicit suam non Dei similitudinem.* Musius ex R. Isa: Caro. *similitudo ad originem natura refertur, imago notat corruptionem.* Ipse Christus Joh. 3, 6. sic docet; *Quod genitum est ex carne caro est.* Calvinus. *Non alius est sensus, quam nos omnes carnales esse ut nascamur &c.* Quid dici potest apertius? omnia loca & explicationes, non

10
non à Deo creari, sed nasci homines in peccatis testantur disertè.
Non addimus alia, sufficere allata arbitramur.

§. II. Satis nunc ut opinor demonstratum est, quo pacto Theologi Reformati, post Patres & Catechesin, cum scriptura sentiant & loquantur: opposita itaq; sententia; *Deum post lapsum creare hominem in peccatis*, hoc ipso nostra non esse evincitur & damnatur. Quod enim ex nativitate & conceptione asseritur, id eo ipso Deo tribuendum & creationi ejus negatur. Neq; visus unquam nobis, vel auditus Nostras Theologus qui ita locutus: quod si fortè daretur, cum hoc ipso à communi Reformatorum sententia discedere, neq; hoc in puncto pro nostro habendum, publicè protestamur. Privatæ enim sententiæ integris ecclesiis imputari haud debent: Multominus assentiendum est homini recedenti à typo sanorum verborum: qui potius Deo obediendum, jubenti, ut *qui loquitur in ecclesia loquatur sic deo & eis*. Et juxta Pauli monitum, *non recipiendi aliam doctrinam afferentes*.

§. 12. Hic subsistere, ceu re confecta, liceret, cum neganti probatio non incumbat. Attamen ex abundanti negativam quoque paucis asseremus: Et quidem primò, ex silentio adversariorum: Nullus enim licet infensissimus & maximè virulentus ecclesiarum nostrarum accusator hanc vel Theologis nostris, vel Catechesi Heidelbergensi dicam scripsit. Ingeniosissimi pariter ac malevoli nostratium sugillatores, fratres Walenburchii, qui ferè omnia Theologorum nostrorum scripta perreptarunt, in Professione fidei Catholicæ, ad articulum de creatione varias Calvino, ejus verba torquentes & mutilantes; hæreses impingunt, imprimis quod Deum authorem peccati faciat: hanc tamen sententiam, ex qua facillimè id inferri posset, neq; illi, neq; cuiquam ex nostris, tribuere audent neq; possunt. Notissimus ille Reformatorum scriptorum Coriphæus, iniquissimus Eckhardus, Lutheranus; quam multa ille corrasit ex nostratium di-

ctis;

Atis, mutilavit, torfit & detorfit, in fasciculo suo controversarum, ut odiosas nostris ecclesiis sententias & hæreses impingeret. Hanc verò propositionem, si legisset apud nostros, nunquam siluisset; maximè cum conceptis eam verbis tangat, cap. 10. argum. 6. libri præfati. *Si Deus animas immediate condidit, aut erunt à pollutione libera aut non. Si illud, hæc sequentur absurda &c. Sin hoc, pollutio illa Deum authorem habebit, quod blasphemum.* Certè si nostrorum aliquis hoc sensisset, haud latuisset adversarium lynceum: & ita in nos animatus erat, ut dissimulasset nunquam. imo officii sui duxisset, hæc ceu flagitiosam sententiam atro carbone notare & fulmina anathematùm in eam detonare.

§. 13. Sunt itaq; liberæ ab hac sententia Ecclesiæ nostræ, silent enim accusatores. Quin & pro se loquuntur nostrates, hanc manifestè rejicientes sententiam. Confessio Helvet. cap. 7. *Damnamus omnes omnium opiniones, quotquot diversa sentiunt de creatione, de angelis, demonibus & homine, ab iis qua nobis tradita sunt per scripturas sacras in Apostolica Ecclesia.* Hoc anathema ferit etiam propositionem præsentem, quam ex scriptura nemo probare poterit, ex qua contrariam nos superius demonstravimus. Synodus Dordracena articulo supra citato: *per vitiosa natura propagationem jùsto Dei judicio derivari.* audin? non creatione sed judicio jùsto propagari, dum nascitur homo. Non itaq; in peccatis creat, sed ob peccatum judicat. Catechesis Heidelbergensis quæst. 6. *An igitur Deus hominem ita pravam & perversum condidit? R. Nequaquam &c.* Si quis dicat de primis parentibus ibi Catechesin loqui, non equidem refragabimur; attamen negari haud debet, quod observat Calvinus in Jobam; homil. 53. *Deum orasse in Adamo totum humanum genus & concursam creationis, qua talis, in generatione hominis esse eundem, nunc, qualis fuisset si in integritate perstitisset.*

§. 14. Nostros iterum consulamus doctores. Primum

B

cita-

eitarus Wendelinum, qui in omnium manibus. is Theol. Chriff.
 p. 1. cap. 10. Th. 6. Pontificiorum & Pelagianorum hoc argu-
 mentum sibi objicit; *Si corrupta est anima vel creatione vel à
 corpore est corrupta. Atqui non à creatione, quia cum Deus cor-
 ruptionis & peccati Author. &c. R. Wendelinus: Corruptio-
 nem originalem non esse à creatione per se, & paulò post, illam subire
 respectum poena, neq; ad Deum referendam, quã creator, sed
 qua iudex. item, corruptionem quatenus est peccatum non esse à
 creatore & tandem, extra Adami lapsum nulla porta nulla rima
 per quam malum hoc irrupserit quarendam est.* Adnotamus, Wen-
 delinum (a) expressè negare peccatum à creatione esse. (b)
 admittere hanc consequentiam, si creat in peccatis, E. author
 peccati. Chamierus audistur, Panstrat. Cathol. tom. 3. l. 1. 7.
 Ille idem argumentum à Pighio motum, adfert. & sic respondet
 §. 10. *Magna quaestio & jam pridem seriò agitata, unde sit corru-
 ptio anima humana & in qua vel maxime spatiantur, qui nihil
 volunt scripturis credere, nisi quantum oculis vident Itaq; Catho-
 lici, licet fateantur non sibi omnia esse liquida, sive in origine
 anima, sive in propagatione peccati: tamen firmiter credunt &
 nullatenus dubitant, animam esse originaliter corruptam à peccato:
 quod quocunq; modo transeat, transit tamen ab Adamo in posteros
 & expressè definit, §. 11. Animam à sui creatione non corrumpi, sa-
 nus quilibet concesserit. Certum enim. nil corruptum à Deo
 creari.* Bucanus testimonium ferat, loc. 15. quest. 28. *Estne
 peccatum originale substantia an accidens? R. Non est, esset
 enim anima vel corpus. Jam verò anima & corpus sunt bonæ Dei
 Creaturæ; quæ etiamnum creantur à Deo. Ergo non sunt
 peccatum. Nec substantialis est proprietas, aut aliquid substantiale
 in homine: sed est adventitia qualitas, quæ tamen naturalis
 dicitur, non quod à natura fluxerit, (quatenus creata est) sed
 quia hæreditatis jure suos tenet, & in ipsa hominis natura viribus
 & facultatibus inhæret & ipsi innata est.* Clarius P. Martyr. L.
 C. Clat.

C. Claf. 2. l. 50. Tertius modus est, Deum creare animam eum
 huiusmodi vitio vel defectu. Sed hac opinio durissima videtur;
 Deum videlicet animam ad Adamum nondum pertinentem peccato
 contaminare: potest enim cum discere non possint, hoc peccati genus
 poenam esse alterius peccati: quod precesserit. Ideoq; hoc com-
 mentum vulgo rejicitur, ne videamur Deum simpliciter peccati
 facere authorem. Et apertissime §. 27. Quicquid Deus facit id
 absq; omni controversia rectum & iustum est, & poena ipsa
 quatenus poena sunt, ad naturam boni pertinent; Quatenus tamen
 ex nobis proficiscuntur peccata sunt. Non enim statumus Deum
 ipsum dum animam creat, eam coquinare. &c. Vin' anathe-
 mata ex hoc calamo contra improbatam sententiam? audi ex
 §. 6. Quod si Pighius fingat Deum hosce pravos affectus in nobis
 creasse, erat in illum blasphemus & contumeliosus. Loquatur et-
 jam Calvinus Inst. lib. 2. 10. Eant nunc qui Deum suis vitiis in-
 scribere audent, quia dicimus naturaliter vitiosos esse homines.
 opus Dei perperam in sua corruptione scrutantur, quod in illa
 integra adhuc incorrupta, Ade natura requirere debuere.

§. 15. Antiquitatis nos delectant vestigia & consensus.
 Tertull. adv. Marcionem §. Cum dicit, fuimus natura filii ira:
 Creatoris autem non natura sunt filii, sed affectione patrum. Ira
 filios ad naturam retulit non ad creatorem. Clemens Alexand.
 Strom. 1. Dei est natura bona facere, ut ignis calefacere & lucis
 illustrare. Augustinus de Gen. ad lit. 5. Deus justos facit & or-
 dinat, peccatores autem, in quantum sunt peccatores, non facit sed
 ordinat tantum. Ita ipso faciente pulcra sunt omnia, & ipso ordi-
 nante pulcra sunt singula. Idem de orig. an. l. 1. cap. 6. Anima
 hoc meritum quod in carnem peccatricem missa est ut inquinaretur
 ex illa, aut a semetipsa habet, aut quod a vero multo amplius ab-
 horret ex Deo. Si autem hoc meritum dicitur ex Deo habuisse,
 quis hoc audiat, quis ferat, quis impunè permittat. ibid. cap. 7.
 Avertat Deus & omnino absit, ut dicamus quando lavacro rege-

B 2

...
 ...
 ...

nerationis mundat animas parvulorum tunc cum mala sua corrigere, quae illis ipse fecit, cum illas nullam habentes peccatum, peccatrici carnis, cuius originali peccato contaminarentur admiscuit. addamus nonnulla ex cap. 20. *Quamobrem quicumque volunt defendere animas novas nascentibus infanti, ne dicant à Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum, idem falsum & impium est &c.* Observandum, Augustinum tam acerba eloqui contra eos qui dicebant animam puram quidem creati, sed Dei manu cum corpore peccaminoso uniri. Quas non diras tonasset, si quid à Deo peccaminosum vel in peccatis creati audivisset?

§. 16. Coronidis loco rationes adjungemus convincentes, hanc phrasin, seu rationem loquendi, Deum creare hominem in peccato post lapsum, absurditatum & periculi plenam, imo quocumque modo explicetur vel leniatur, in Theologia plane esse intolerabilem. Et (a) primò quidem, ex natura phraseos hæc locutio planissime originem peccati ad Deum refert, nam Pl. 51. 7. *in iniquitate genitus, in peccatis concepit me mater mea, behavon ubechet (in iniquitate, in peccato)* idem est quod cum peccato, & sensum habet adjectivum, sicuti cant. 3. 8. *mippachai balailot, propter pavorem in noctibus*, i. e. nocturnum. Ita in iniquitate idem valet, quod iniquum, impium: & in peccato, significat peccatorem seu peccaminosum. Hæc verò phrasin derivari peccatum à genitoribus significat. Ufus etiam quotidianus hunc sensum exigit. Catechesis Heidelbergensis quæst. 6. ait, *Deus hominem creavit iustitia & sanctitate præditum*, i. e. in iustitia & sanctitate creavit: quem sensum vernaculè exhibet, *in wahrer gerechtigkeit und heiligkeit*. Deum condidisse in iustitia, est condidisse iustum, & condendo indidisse iustitiam, adeoque Deum substantiæ hominis & iustitiæ principium esse operans & fontem & authorem. Ex sensu igitur scripturæ & secundum receptam hujus Phrasios significationem, hæc locutio, Deus creavit hominem in peccatis, valeret idem

idem quam Deus cum peccato creavit hominem, seu creavit substantiam & peccatum, seu peccatorem qua talem, esse opus Dei, ad quæ pia mens exhorrescit meritò. (b) secundò, phrasis hæc pro hæretica impia, & blasphema reputatur ab inimicis & amicis. Echardum, Lutheranum produximus antè, qui cap. 10. Falsi contr. arg. 6 sic infert, si Deus creat animam cum peccato esse peccati auctor, quod blasphemum. sic pontificii obijciunt apud Chamierum panthe. Tom. 2. lib. 1. cap. 7. sic Pelagiani & Pontificii apud Wendelin. Theol. Et hanc consequentiam cen legitimam ad mittunt nostri. Imò P. Martye L. C. claf. 2. cap. 1. §. 50. Illa consequentia utitur; Deum creare animam cum hujusmodi vitio, videtur simpliciter Deum facere auctorem peccati. Et Augustinus eam agnoscit. lib. 1. de orig. animæ. Imò Augustinum qui attentè legerit, reperiet hunc patrem pro phrasibus æquipollentibus habere, Deum creare in peccato, & Deum esse auctorem peccati. (c) Ponderemus etiam hæc: si Deus creat in peccatis hominem, peccatum propagatur per creationem & per Creatorem: actio creatoris facit peccatorem: imò ex creatione ipsa & ex Creatore habemus peccatum. quæ totidem absurda. (d) Quis non videt hanc sententiam plurimarum ac teterrimarum heresum, cum quibus consentire videtur, flabellum esse? Saturninus, homines naturâ & creatione malos dixit; ut Ex Epiphania & Theodoro docet Danaus cap. 3. ad librum Augustini de hæresibus. Et Reformatus dicere sustinebit Deum creare homines in peccatis? Valentinus Heracleon, Cerdo, Marcion & Apelles, duos Deos invexere, unum bonum alterum Malum, qui in sua malignitate mundum creârit. August. de hæc. ad quod vult Deum. Epiphani. Fugiamus axioma noxium, & verè nos horum detestari insaniam patebit. Imò cave ne te his impudentiorem aliqua cum veritatis specie dicat osor: Illi Deum malum in malitia creasse dixere: tu verò Deum bonum in peccatis creare, audes asseverare. Præfatam hæresin amplexus manes cum sectatoribus, imò auxit insaniam, statuendo peccatum esse substantiam;

B 3

am:

am: quas sordes reassumpfit seculo lapsa, inflatus & turbulens ille Flavius, Illyricus triffidissimi schismatis inter euangelicos tax & tuba. Hi contentive te clamabant; quod enim creat Deus est substantia & ens reale. Annon Judæi, Pelagius, Celestius, Socinus cum Anabaptistis, quod tu dicis; avidè arripiunt ad pestilentissimum suum dogma pelliandum, inferendo; Labem originalem peccatum non esse; quia ipse Deus, quem impossibile est mali conditorem esse, hominem cum hac infectione creat? Pontificios & Arminianos, originale peccatum extenuantes, quæ refutabis? an mortalem esse reatum illis persuadebis, asserendo Deum ipsum in hoc peccato creare miseros? (e.) Et sanè, peccatum quatenus concipitur ut privatio bonitatis debet inesse, nullo modo à Creatore; quæ tali, derivari potest. Id nos Theophilaetus docet in Mat. 26. *Dicens bonum esse hominem illum non esse natum, ostendit substantiam peccati alienam à natura. & Augustinus de Civit. Dei lib. 15. cap. 6. Langor ille, prima inobediencia supplicium, & id non natura sed vitium est.* (f.) Verùm, non tantum quid negativi, seu privativi est peccatum originis, sed & positivi, ut rapacitas in lupis; neq; tantum carentia rectitudinis sed & aversio est à Deo, & homo natura *osor Dei Rom. 1. quod Catechesis Heidelb. quæst. 5. explicat; Natura propensum ad odium Dei & proximi.* Et Chamierus clarius Panstr. tom. 3. l. 1. cap. 3. §. ult. *Manifesta est corruptio, id est, non tantum nuditas, quæ nihil habet boni, sed etiam vestimentum corruptionis, sive qualitatis opposita bono. Et non tantum homo sit negativè non bonus, sed etiam positivè malus.* Quis dicere sustineat Deum creare hominem cum qualitate opposita bono, cum odio sui creatoris, cum aversione à Deo; cum omnis creatura quæ talis dependeat à Deo, & ad eam convertatur, originem suam agnoscens? (g.) Insuper consentiunt omnes, hominem quatenus est creatura Dei, esse bonum. hinc Augustinus de lib. arbit. 3. 21. sollicitè monet; *Tantum ad-*

tas
 § B

fit fides de creatoris substantia, nil falsum indignumq; sentiendi. Neq;
 enim ex fonte bonitatis malum, vel à patre *luminum*, in quo
 nulla adumbratio vicissitudinis, tenebræ oriri possunt: eum
 omnis creatura Dei bona sit. 1. Tim, 4, 4. Rom. 14, 14. *Deus*
enim omnia fecit valde bona Gen. 1. & idè laudant eum omnia
 opera eius; Id est laudi sunt, quia bona. *Quin docet scriptura,*
imaginis divinæ reliquias, & quidem eximias; superesse in ho-
mine corrupto per peccatum; Gen. 9. 6. Eccles. 7. 30. Rom.
1. 19. Rom. 2. 15. eas à Creatore habet. cum igitur creatio, quâ
talis, boni in homine residui causa sit, & homo quatenus crea-
tura bonus sit, non sine contradictione dicitur creari in peccatis.
 Quod enim creat Deus, id bonum est; sed quod creatur in
 peccatis, malum est. Imò cum peccatum sit destructio imagi-
 nis, bonitatis, operis ac creaturæ Dei bonæ: dicendo Deum
 creare in peccatis, asseverabis creare Deum destruendo bonita-
 tatem. Quod contradictorium idem & intolerandum. (h.)
 Notetur etiam actionem Dei Creatoris, seu concursum in pro-
 ducendis hominibus per generationem, non esse immutatum per
 hominis defectionem. Sed concurrat Deus post lapsum, quo-
 modo concurrisset si homo perstisset in integritate. Actione
 nimirum incontaminata, sanctissima, quæ creatorem deest & quæ
 digna Deo, & quæ nil producat inordinati vel contaminati. Ad
 hominis generationem concurrat Creator Deus ratione benedicti-
 onis, *crescite & multiplicamini*, Gen. 2. non ratione maledicti-
 onis: Maledictio enim non facit, sed supponit creaturam.
 Quæ diximus, jam olim Lombardus. sentent. l. 2. dist. 32. vidit.
 Ipse, ait, *non incongrue humana conditionis modum, quem à*
principio instituit, licet peccata hominum intercesserint, sine mu-
vatione continuo servat. &c. Cum itaq; non aliter Deus concur-
 rat ad generationem lapsi, quam ad generationem innocentis,
 nullo pacto dici potest neq; debet Deum creare in peccato.


§. 17. Quæ diximus, abundè declarant puritatem Theolo-
 gorum Reformatorem & catechescos Heidelbergensis, neq; con-
 fidi-

fidelibus quemquam sine stupore vel maledictoria manifesta affirmaturum post hac. Theologos Reformatos Clarissimos & Catechesin Heidelbergensem docere, quod Deus hominem creet in peccatis post lapsum.

Augustinus de origine animæ lib. 1. cap. 19. de Vincentio Victore, qui temerè nimis & absq; scriptura de animæ productione philosophabatur.

Melius est homini, fateri se nescire quod nescit, quam in heresim vel damnatam incidere, vel novam condere, dum temerè audet defendere quod nescit.

S. D. G.



ΕΠΙΜΕΤΡΑ ΔΟΤΙΚ.

Tale est virus peccati originalis, ut hominem, donec ex aqua & Spiritu renascatur Ioh. 3. 5. exuat omni libero arbitrio ad bonum Spirituale & salutare & mancipatum teneat carni & morti;

Adcoq; perabsurdè negant Iesuitæ, ut nominatim Tirinus cont. xi. n. d. 6. quod naturales nostri defectus, v. g. Ignorantia in mente sive intellectu, & pro

19
profinitas in malum in voluntate, ad hoc peccatum
pertineant.

3. Tam late patet hac labe, ut nemo eorum, qui
viâ generationis ordinaria ex viri & mulieris concubitu,
id est ex libidine carnis & libidine viri Job. 1. 13. na-
sciuntur ab ea veniat eximendus.

4. Cum jure fingatur eum qui adhuc in utero
est, jam esse in rerum natura, Inst. de tutelis §. 4.
& ff. t. 7. de statu hominum, cur non potuerint in Adamo
considerari omnes omninò homines ut jam existentes & vo-
lentes id quod ipse volebat, eò quod erant ex illo per ge-
nerationem certò prodituri?

5. Massam generis humani hoc fermento infectam,
huic originali corruptioni immerfam, sic objici prædestina-
tioni aeternae, ut inde & misericors sit quorundam electio,
& justissima aliorum præteritio atq; reprobatio, sapientissimè
à Synodo Nationali Dordracena definitum est.

6. Sed lapsus hominis, ut & antecedentem ejus-
dem creationem ordinari instar medii ad prædestinationis
finem in Dei decreto, vera Theologia hætenus non, sed
presupponi per modum conditionis in objecto, dixit.

7. Sicut datio Christi in Redemptorem ipsiusq; sa-
tisfactio non præordinatur electioni Dei aeternae, ceu illius
causa meritoria aut fundamentum, sic bene ei tanquam il-
lius completiva & executiva subordinatur.

8. Ut in Syllogismis, conclusio sequitur par-
tem debiliorem, juxta Canonem Logicum, ita quicquid
est vitii in factu, causis secundis debet adscribi, non de-
bet rejici in primum generationis authorem, qui sic concur-
rit ad generationem ipsam ut illius auctrix, qua cau-
sato

sam habent deficientem, non efficientem, hominibus sine
tribuenda: addo id Martialis; Quem recitas me-
us est, o Fidentine Libellus; Sed male cum recitas,
incipit esse tuus.

9. Non eluit labem originariam, nec crimen falsi
committit in hujus loci Eph. 2. v. 3. citatione, ponendo
quosdam pro quibus terna dicitur, cum per gratiam desi-
nant id esse fideles, quod prius erant per naturam, at
si de nobis loquamur antecedenter ad gratiam, ut omnes
eo respectu sunt sub lege & maledictione, ita omnes
quoque sunt natura filii irae.

10. Sententiam eam, qua distinguit inter suffici-
entiam & efficaciam mortis Christi, ut illa ad singulos
extendatur, haec ad solos electos & credentes restringatur,
sano sensu intellectam, constanter in scholis a Lombardi
tempore receptam lib. 3. sent. dist. 20. lit. C. ante illum a
Primasio, Prospero, August. aliis expressam, a Synodo
Dordracena evidenter indigitam, in secundo cap. doct.
§. 3. & 8. ex legitimarum distinctionum censu disturbasse,
quid juvabit, quid oberit retinuisse?

11. Nec tamen inde probari potest irita distinctio
gratia in sufficientem & efficacem: cum sufficiens dicatur
ab illius distinctionis in hoc capite patronis, non tantum
in potentia, sed & in actu; & gratia efficax juxta eos
aliquid amplius superaddat sufficienti; quam nudam actu-
alitatem: neque id potest dici sufficiens ad aliquid causandum,
cui ad hoc, ut operetur, aliquid aliud ejusdem ordinis ne-
cessario addi debet.